





DISPUTATIO JURIDICA  
De  
PRIVATIS DE-  
LICTIS.

Quam  
Sub Auspicio Triunius DEI  
Permissu & Decreto Amplif-  
simæ & Celeberrimæ Facultatis Juridicæ,  
quæ est in inclyta Lipsiensium  
Academia

Pro consequenda in utroque Jure  
LICENTIA DOCTORALI.

Publicæ disquisitioni submittit  
M. MELCHIOR BRUNO,  
Stotel-Bremensis.

Ad diem 29. Augusti in Auditorio Philosophorum  
Collegij majoris.



LIPSIÆ

J. M. Corvinus.

Typis exscripsit GREGORIUS RITZSCHIIUS,  
Anno 1633.

15

21 390

1633, 1

Reverendissimo, Illustrissimo atque  
Celsissimo Principi ac Domino,  
Domino


**JOHANNI FRIDERICO,**  
DEI gratiâ, Archiepiscopo Bremensi,  
Episcopo Lubecensi &c. Heredi Nor-  
vveviæ, Duci Slesvigæ, Holfatiæ, Stor-  
manix & Diethmarsix, &c. Comiti in  
Oldenburg & Delmenhorst, &c.

Domino suo clementissimo

*Hanc Disputationem inauguralem*

*humillimè inscribit & offert*

M. Melchior Bruno, Stotel-  
Bremensis.



## THESIS I.

**Q**uoniam in nomine Domini nostri Jesu Christi ad omnia consilia, omnesque actus semper progrediendum est, l. 2. C. de offic. præf. præt. Afric. propositurus principales privatorum delictorum species, inter quas primum locum tenet furtum, illud in eodem sic definio.

2. Furtum est delictum privatum, quod fraudulosa rei alienæ, vel etiam usus possessionisve contrectatione lucri faciendi gratiâ committitur, l. 1. §. 3. de furt. §. 1. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc.

3. Dixi fraudulosa, quæ est communis differentia omnium delictorum, quòd sine dolo non committuntur, excepto unico, quod lex Aquilia vindicat, ubi non necessum est, ut damnum ex proposito maligno & dolo fiat, sed inde actio competit, si modò quâcunque etiam culpâ levissimâ damnum datum sit, l. 44. ad l. Aquil. l. 13. de liber. caus. & quidem de furto, quòd sine dolo & affectu furandi non fiat, nominatim traditur §. 4. & 5. Inst. de usucap. §. 7. Inst. d. t. l. 37. de usucap.

4 Dixi contrectatione, quia nec sine ea furtum committitur l. 3. §. 18 de acq. poss. l. 22. h. t. Significatur autem contrectatio, cum quadam motione, ut excludantur ab objecto furti res immobiles; eorum enim sententiam, qui etiam fundi locive furtum fieri existimabât, abolitam esse testantur Gajus in l. 38. de usucap. & Justin. in §. 7. Inst. eod. solius igitur rei mobilis furtum fit; nec refert animata sit l. 14. §. 13. l. 38. h. t. an inanimata. Amotio autem seu motio hîc subtiliùs intelligenda est, ut non intelligatur amotio tantùm ex potestate domini, sed etiam rei, quæ quamvis ex justa causa penes aliquem sit, illicitus usus; & hoc

per verbum usus in definitione notatur, quod fit dupliciter, si quis utatur re, cuius vel nullum habet usum, ut sunt depositarius & creditor in pignore, quorum ille re deposita, hic pignore utentes furtum committunt, vel utatur ultra limitatum & concessum usum §. 6. *Inst. d. t. l. 40. l. 54. h. t.*

§. Contrectatio illa aut est vera, de qua *θ. præc.* aut ficta, quam effectu considerato jus pro vera habet. Sic tenetur falsus creditor, qui sciens indebitum accipit, *l. 43. h. t.* Sic tenetur falsus procurator, qui nomine veri procuratoris accipit pecuniam à debitore creditoris *d. l. 43. §. 1. l. 80. §. 6. eod. l. 18. de solut. l. 14. de cond. caus. dat. l. 19. C. h. t.* Sic qui in officio sibi commissio fraudulenter & dolo malo versatur *l. 1. §. 22. & seqq. & l. 2. de tutel. & rat. l. 33. h. t.* quem tamen mitius puniri quidam volunt, quam pœna capitali hodierna. Sic tabellarius pecuniam numeratam in proprios usus convertens propter expressum textum in *l. 7. C. h. t. l. 22. §. 7. mand. 52. §. 16. h. t. l. 25. de donat. concordat P. H. D. art. 170.* pœna autem videtur hoc casu rectius imponi fustigatio quam strangulatio monente *Vvesenb. in P. fforum h. t. n. 11.* si dictus art. 170. per 160. explicetur. *Novel. Elect. Aug. const. 41. p. 4.* constitutum, ut si furtum 20. solidos excedat, suspensio puniatur, si non, fustigatione, perpetuo exilio vel mitius pro furti magnitudine, qua ead. const. administratoribus in officio fraudulenter versantibus, pœna capitalis statuitur, si 100. floreni usitatae monetae inversi sint, fustigationis, si 50. inversio excedat, arbitraria carceris aut relegationis, si infra 50. subsistat. Sic tenetur, cuius ope, consilio furtum factum est §. 11. *Inst. d. t.* Consilium autem latius usurpatur & strictius, latius designat malignum propositum, eoque sensu semper in ope sive opera fraudulenta, simul est furandi consilium *l. 53. §. 1. de V. S. strictius & in specie opponitur opi, & significat persuasionem, instructionem & impulsionem l. 50. §. 3. h. t.* Item opem ferre usurpatur latius & strictius: Strictius si quis præsens juvet, aut absens prudens sciens instrumenta ad furandum commodet *d. §. 11. l. 54. §. 4. h. t.* rursus opem ita fert quis aut directò, ut si scalas fenestris supponat *d. §. 11. vers. ope,* aut per obliquum, *exempla sunt d. §. 11. vers. in quo l. 52. §. 13. l. 66. §. 2. h. t.* latius opem ferre significat præbere adjumentum, quod inest quibusdam consilii speciebus, cuiusmodi est quod proponitur *d. l. 50. §. 3.* quod instruit, & rationem furandi ostendit, veluti si monstret, quomodo

modo possit pervadere in ædes, aut ubi pecunia recondita sit, in his enim simul inest opera, & talis Nov. El. Aug. *const. 40. p. 4.* non eadem pœna, quâ principalis punitur, sed cum pœna virgarum relegatur. Quoad pœnam in his distingvendum, aut nudum consilium dedit, nec secuta contrectatio est, & non tenetur *l. 62. l. 36. h. t. l. 27. §. 21. ad l. Aquil.* aut consilium dedit, & secuta contrectatio est, *d. l. 52. §. 19. & l. 53. de V. S. in fin.* quia semper oportet furtum secutum & damnum revera datum esse, *d. l. 52. §. 13. & 19.* ut furti actio sit, & oportet consilium & opem eò directa fuisse, ut furtum fieret, qui animus & quod propositum si absit, & tamen damnum datum sit per lasciviam, non furti, sed in factum actio est *d. §. 11. vers. sed si quid d. l. 50. §. 4.* Aut opem & consilium simul præstitit, & tenetur similitudine supplicij *d. l. 50. §. 1. d. l. 52. in pr. l. 6. de condict. furt. c. notum in fin. 2. q. 1. c. sicut dignum vers. illi autem ext. de homic. volunt. c. cum ad sedem ext. de restit. spoliar. l. 20. C. h. t. P. H. D. art. 177. Landrecht. l. 2. art. 13. & 25* Huc etiam pertinent receptatores rerum furtivarum *l. 14. C. h. t. §. 4. Inst. d. t.* pessimum enim genus receptatorum est, sine quibus diu latere nemo potest, hinc eos ead. cum fontib9 manet pœna *l. 1. de recept. l. 1. C. eod. l. 13. de offic. pres. idē obtinet jure Sax. Landrecht/ lib. 2. art. 25. & ibid. gl. 12. verb. vnrechte Mithelffer/ & eod. lib. art. 13.* quo alludit versiculus antiqui Poetæ Phocylidis:

Ἀμφοτέρω κλέπτες, καὶ ὁ δεξάμενος, καὶ ὁ κλέψας.

6. Dixi possessionis: omne quidem furtum est possessionis, ut nec fiat furtum, si rei penes alium non sit possessio, quare hereditati jacenti negatur furtum fieri *l. 1. §. 15. si is qui testam. lib. l. 6. expil. her. l. 68. h. t.* Sed quia hîc possessio opponitur rei & usui intelligitur tale furtum, quod intuitu solius possessionis committitur, *exemplum est in §. 10. Inst. d. t.* si debitor rem propriam, quam pignori dedit, ejusque possessionē transtulit, surripiat creditori. In re enim pignorata duo consideramus, rem ipsam, quæ manet debitoris, & pignoris jus, quod creditori constituitur, res est debitoris propria, jus in re illa alienum est, rem ipsam furto non aufert, at rem illam intervertendo furtum committit, atque ita rei nō propriæ, sed alienæ, sed quia jus interverti non potest, quin & res, cui tanquam accidens inhæret, intervertatur, metonymicè eo casu debitor rei suæ furtum facere dicitur, propriè enim jus creditori aufert, non rem, nam si res ipsa fieret furtiva, non posset usucapî *§. 2.*

*Inst. de usuc. at usucapi posse expressè confirmat l. 4. §. 21. eod. Si verò debitor creditori, cui rem surripuit, offerat debitum, puto actionem furti expirare, vel saltem ei remittendam esse arg. l. 53 §. 1. h. t. Deinde quo exemplo utitur Theoph. in d. §. Inst. si depositarius dolo malo utatur re depositâ animo intervertendi & inficiandi depositum l. 67. h. t. ita enim deponens amittit possessionem d. l. 3. §. 18. d. acq. poss. itaque hic concurrat furtum usus & possessionis.*

7. Furtum etiam rei minimæ fit, ejusque nomine datur actio furti, siquidem nec in minima re alter cum damno meo lucrum sentire debet §. 16. *Inst. de rer. div. l. 8. §. 1. famil. herc. l. 37. h. t. l. 22. vers. ead. de dam. inf. nec furtum ex rei subtractæ quantitate, sed animo surripientis æstimatur d. l. 37. de usuc. c. fur 14. q. ult.*

8. Prohibitum autem est jure divino admittere *Exod. 20. Deuter. 5.* & naturali *l. 1. §. 3. h. t. l. 42. de V. S.* Jus autem naturale hic intelligo non quod bestiis commune est *pr. Inst. de J. N. G. & C.* sed quo utuntur homines, & quod cum jure gentium primævo est idem §. 11. *Inst. de rer. divis.* cui etiam rectè accepta feruntur rerum dominia, eorumque distinctiones *l. 1. de acq. rer. dom.*

9. Potest etiam addi invito domino, quia semper furtum fit contra voluntatem dominorum *l. 46. §. 7. l. 48. §. 2. h. t.* sicut enim injuria, ita nec furtum volenti fit.

10. Furtum aliud est manifestum, aliud nec manifestum §. 3. *Inst. d. t. l. §. 3. 4. 5. 6. h. t.* inter quæ tertium non datur, licet quis ejusdem rei sed diversis actibus & manifestus & nec manifestus fur esse possit *l. 21. h. t.* & retinetur hæc distinctio moribus nostris confirmata *P. S. D. art. 157. & 158.* ususque ejus est in pœna lenienda vel exasperanda.

11. Manifestum furtum describitur in §. 3. *Inst. d. t.* per gradus. ut 1. fit, quando fur deprehenditur in ipso actu, dum furtum facit. 2. quando postquam furtum fecit in eisdem ædibus aut eodem loco cum furto deprehenditur. 3. quando quidem loco egressus est, ante tamen deprehenditur, quàm eò, quo destinavit, rem pertulerit, nec impedit sive ipse dominus sive alius eum deprehendat *l. 3. §. 1. l. 7. §. fin. h. t.* sive deprehensus, sive visus saltem fuerit cum acclamatione *d. l. 7. §. 1.*

12. Non manifestum est, quod in aliquem prædictorum trium casuum non incidit *l. 8. l. 5. §. 1. & 4. h. t.*

13. Utrumque ex adjunctis aliisque circumstantiis varias divisiones recipit, est enim aliud conceptum, aliud oblatum.

14. Conceptum est, cum apud aliquem testibus presentibus res furtiva quaesita & inventa est §. 4. *Inst. d. t.* Olim illud dicebatur fieri per lancem & licium *Gell. 11. noct. Art. 18. & 16. c. 10.* ita autem appellatum videtur, quod olim qui quaerebat rem, quoniam in quavis conclavia intrandi erat concessa potestas, tenebat lancem ob oculos propter matrumfamil. & virginum pudorem, huius ratio erat, quoniam intrabat simplici licio & lino, ut parum a nudo differret, ut ne scil. aliquid latenter sub veste inferre & domino aedium calumniam struere posset, quamvis alia aliorum sint conjecturae.

15. Oblatum est, cum res furtiva alicui oblata est, eademque apud ipsum quaesita & inventa d. §. 4.

16. Utrumque hoc genus a foro recessit, quia magis actionum quam furtorum genera erant, sicut & non exhibiti & prohibiti furti species sublatae sunt d. §. 4. Et inde rem furtivam in alienis aedibus domino rei perquirere licere negatur, quia hoc praetextu omnium curiositati servirent aedes nostrae, quae nobis liberum debent praebere domicilium *l. 18. de in jus. voc. & leges contra ingredientem invito domino dant injuriarum actionem d. l. 18. l. 23. de injur.* imò periculosum hoc esset patrifam. cui expedit ne secreta patrimonii sui pandantur *l. 2 C. quand. & quib. quart. pars. lib. 10.* si tamen indicia aliqua contra eum, apud quem suspicio est, rem subtractam esse, appareant, aditus iudex in alienis aedibus potest concedere perquisitionem *l. 3. de fugit. l. 11. de acq. poss. arg. l. 1. de quest. l. 105. de R. I.* probatur etiam de Jure Sax. *Weichbild. art. 90.* quae tamen ipsis dominis non est permittenda, ne oriantur scandala, sed per ministros publicos fieri debet: nisi autem inquisitio haec concederetur, multi rebus suis defraudarentur, & delicta manerent impunita. Ubi verò publica versatur utilitas, etiam nullis extantibus indiciis in alienis aedibus & locis perquirendi facultas ab Imperat. concessa est *l. 6. C. de aqued. lib. 11. l. 6. C. de mortall. lib. 11.*

17. Verum an res hoc modo apud aliquem reperta sufficiens faciat indicium ad torturam, iudex cautè ex circumstantiis & personae statu aestimabit *arg. l. 10. §. 5. de quest. l. 5. §. 6. de re milit. l. 51. de donat. int. vir. l. 51. pro socio & facit huc lex 8. §. 1. C. de quest. adde P. N. D. art. 43. & Weichbild d. art. 90.*

18. Si

18. Si is, apud quem res furtiva invenitur, sit innocens, quia forte eam emit, aut aliâs bonâ fide acquisivit, tenetur tamen domino eam restituere, etiam absque refusione pretii *per l. 2. C. h. t. l. 3. l. 23. C. de rei vindic. congruit P. H. D. art. 213. & 214.* exceptis sumtibus in rem furtivam puta pecoribus alendis factis: idem de jure Sax. *Sandrecht lib. 2. art. 36.* Nec obstat, quod ab initio protestatus fuerit, se nomine domini emere, ei que reddito pretio restitutum esse, quia aliena protestatio non potest rerum nostrarum libertatem impedire *l. 11. d. R. I.*

19. Res ita inventa, condemnato ad mortem fure, non fisco applicabitur, sed domino restituetur *1. arg. l. 20 de capt. & postl. rev. 2. ex ratione l. 22. C. de pœnis,* quod nemo debeat alterius odio prægravari. *3. propter §. fin. Inst. d. t. ubi res furtiva à quolibet possessore vindicari posse dicitur, adde P. H. D. art. 207.*

20. Ad furtum conceptum pertinet furtum tigni juncti, quod est furtum conceptum tigni, quod quis bona fide ædibus suis junxit: est autem tignum omnis materia, ex qua ædificia fiunt *§. 30. Inst. de rer. divis. & datur actio de tigno furtivo juncto etiam contra bonæ fidei ædificatorem in duplum, quia licet furti nō teneatur, rem tamen furtivam junxit, nec satis diligens fuit investigando rei qualitatem l. 23. §. pen. & ult. de Rei vind. l. 6. ad exhib. l. 7. §. 10. de acq. rer. dom. d. §. 30.* Nec liberum est ei ad actionem hanc evitandam, tignum furtivum ædibus eximere & domino restituere *d. l. 6. l. 1. de tig. junct. l. 2. C. d. edif. priv. l. 6. C. de op. publ.*

21. Ex tempore aliud est furtum nocturnum, aliud diurnum, hoc quod interdiu, illud quod noctu perpetratur *l. 54. §. 2. h. t. l. 9. ad l. Cornel. de sic. P. H. D. art. 167.* estque atrocius, unde & extraordinariè punitur, & l. 12 tab. furem nocturnū deprehensum occidere licet, si sine periculo ei parci non possit *d. l. 9.* diurnum non item, nisi se telo defenderit *l. 4. §. 1. ad l. Aquil. accedit jus divinum Exod. 22. in pr. & canonic. c. 3. ext. de homic. casual.* utrobique autem clamorem tollere debet occidens.

22. Ex persona furum aliud est domesticum, aliud non domesticum: illud fit patrifam. ab uno ex familia, puta uxore, contra quam tamen constante matrimonio non datur actio *P. H. D. art. 165.* sed eo soluto rerum amotarum *t. t. rer. amot:* vel per servos & liberos, cum quibus etiam nulla est actio, quia parentes & domini per eos omnia  
acquir

acquirunt, & in eos jus animadvertendi habent *l. 16. l. 17. b. r.* Prior autem ratio cessans facit, ut contra filium castrense peculium habentem actio furti detur *l. 52. §. 5. b. r.* Si autem plures servi unius domini furtum fecerint alii, ne dominus omnes noxæ dedere, aut universorum & singulorum nomine æstimationem præstare teneatur, sed præstado tantum, quantum unus homo liber, liberetur, edicto expressum est *l. 1. in pr. & §. ult. si famil. furt. l. 32. ad l. Aquil.* Huc referri potest furtum, quod servus in testamento vel purè sub conditione manumissus committit, tunc cum statim ab adita hereditate, vel ea adhuc jacente furtum hereditati facit quasi, eamque dolo malo compilat, cujus persecutio in duplum est *l. 1. & t. r. si is qui testam.* Domesticum item est furtum, quod libertus vel cliens patrono vel mercenarius ei, qui operas ejus conduxit facit *l. 89. b. r. junct. l. 11. §. 1. de poen.*

23. Quandoquidè apud Christianos ex speciali ratione libertatis spiritualis per Christum partæ omnibus fide illam amplectentibus inque ipsius nomine baptizatis jus servitutum & manumissionum in desuetudinem abiit, & in specie Germaniam nostrã veros servos nunquam habuisse, testis est *Cornelius Tacitus de moribus Germanorum*, de servis, ancillis, famulis, mercenariis & officialibus nostri temporis, utpote hominibus liberis minimè ambigendum est, eos furti teneri, quò collimare videtur *P. H. D. art. 170. & expressè traditur Nov. El. Aug. Const. 38. p. 4.* Ubi tamen domesticorum appellatione non venire parentes, conjuges, liberos & fratres dicendum est, quod ad poenam ordinariam attinet *arg. l. ult. de recept.*

24. Ex loco aliud Tumultuarium, aliud Balneariũ, illud est cum quis tẽpore naufragii, ruinæ, incendii vel navis expugnatae, ubi comoda res subtrahendi occasio se offert, & res suas minus quis custodire potest, aliena aufert & contrectat. Hinc etiam actio ejus, quod incendii, ruinæ, naufragii causã depositum est, nomine in duplum datur contra depositarium inficiantem *l. 1. §. 4. depos. junct. §. 26. & 22. Inst. de Action.* Persecutio ejus intra annum est in quadruplum, post annũ in simplum *l. 18. C. b. r. l. 1. & t. r. de inc. ruin. naufr.* Hoc, quod committit is, qui vestiaria hominum in balneo versantium aufert, isque extra ordinem punitur *l. 1. de furib. balne.* Eodem modo punitur illud furũ genus, qui à modo furandi Saccularii dicuntur, qui ex sacculis alienis

B

nis

nis suppilant pecunias, similes sectoribus zonariis *l. 1. §. 2. de effract. l. 7. de extraord. cognit.*

25. Ex re sive objecto, quale est arborum furtim caesarum, cum quis vel ferro, vel serra, vel instrumento alio clam arbores alicujus seuerit, caeciderit, crebris ictibus exciderit, vulneraverit, cinxerit, i. e. deglabraverit, vel ex seminario arborem transtulerit *l. 5. l. 7. & t. t. arb. furt. cas.* Condemnatio ejus duplum continet *d. l. 7. §. fin.* Jure Saxónico multa pecuniaria 30. solidorum in tales constituta *Sandrecht lib. 2. art. 28.* Abigeatus, qui est furtum pecoris ex stabulis vel pascuis vel armentis animo & studio abigendi commissum *l. 1. §. 1. de abig. Nov. 22. c. 15. §. 1. l. 5. §. 2. de re milit.* Poena ejus quod abigei humiliores plerumque ad opus temporarium damnantur, honestiore loco nati aut relegari aut loco moveri solent, poenam quandoque gladii sustinent, quandoque bestiis subjiciuntur, ubi enim frequentius hoc delictum, ibi etiam poena gravior, inde autem atrocius aestimatur, quod plerumque cum latrocinio exercetur *l. 1. §. 3. & t. t. de abig.* Receptores eorum ad decennium relegantur *l. fin. §. fin. eod.*

26. Ex modo committendi aliud est cum effractione aliud sine ea, quae distinctio plurimum facit ad poenam augendam vel minuendam *P. H. D. art. 157. & 159.* Poenae in speciebus propositis a. plus sapiunt jus Justinianicum quam modernum, de quo mox plura.

27. Furtum faciunt omnes, qui doli capaces sunt, dum scientes lucri causa rem alienam contrectant. Excusantur igitur infantes, furiosi & amentes, quia scilicet non intelligunt quid agunt *l. 9. de acq. her. l. 1. C. de fals. monet.* Non tamen proximi pubertati §. 18. *l. d. t. l. 23. h. t.* quoniam autem poena furti hodie est capitalis, eam ipsis imponi non posse statuo *arg. l. 1. §. 32. & 33. ad Sct. Syllan. l. 7. §. 1. de min. 25. an. cui suffragatur jus Sax. Sandrecht lib. 2. art. 65. accedit P. H. D. art. 164.* quae fustigationem aut aliam arbitrariam poenam dicat, nisi furtum sit magnum, & aliae circumstantiae delictum aggravet malitiam aetatem supplente *d. art. 164.*

28. Furti actio datur ei, cui invito res aliqua intercipitur, sive dominus illius sit sive non, sua tamen interfit, rem non intercipi *l. 20. C. h. t. §. 8. Inst. d. t. l. 43. §. 1. h. t. l. 49. eod. §. 13. Inst. eod.* Talis est omnis, qui alienae rei, quam tenet, custodiam praestare tenetur, excepto depositario §. 17. *Inst. eod.* Veluti conductor rei alienae *l. 14. §. 16. & 2. l. 85. h. t.*

*h. r. fullo, qui curanda poliendavè vestimenta, & sarcinator, qui mercede certâ cōstituta sarcienda accepit, l. 12. h. r. §. 15. Inst. d. r. sed hi si solvendo sint. Creditor cui furtum fit in pignore, si id ei surripiatur d. l. 12 §. 2. l. 14. §. 5. 6. h. r. Commodotarius cui furtum fit in re commodata d. l. 14 §. 14. §. 16. Inst. d. r. nisi dominus contra furem actionem furti elegerit d. §. 16. l. fin. C. h. r.*

29. Præter actionem furti, quæ solam pœnam persequitur §. ult. *Inst. d. r.* competit etiam persecutio rei ipsius ablatae idque actionibus in simplum peculiaribus, puta ad exhibendum *l. 7. §. 1. in fin. de cond. furt. rei vindicatione contra quemcunque possessorem d. §. fin. l. 1. de priv. del. l. 8. l. 12. l. 15. l. 17. C. h. r. l. fin. C. de noxal. act. & tandem conditione, eaque contra ipsum tantum furem ejusque heredem locum habet d. §. fin. & *dd. text.* licet non possideat *d. l. 7. §. 2.* & quidem in solidum, licet nihil ad ipsum pervenerit, *ex immoto fundamento l. 9. de condit. furt.* cum aliâs actiones ex maleficiis descendentes non aliter dentur adversus heredes, quam si lis fuerit cum defuncto contestata §. 1. *Inst. de perp. & temp. act.* vel in quantum ad ipsos pervenerit *l. 5. de calumn. l. un. C. ex delict. defunct.**

30. Pœna furti alia est manifesti, alia non manifesti. Manifesti est in quadruplum, in quo non inest ipsa res §. 5. *Inst. d. r. & §. 25. Inst. de act.* Nec manifesti in duplum *dd. §§.* quæ non ut illa, *pr. Inst. de perp. & temp. act.* ex jure prætorio descendit, sed ex civili *l. 12. tabul.* quod probatur *l. 1. §. 3. furt. adv. naut. d. pr. Inst. de perp. & temp. argumento ducto à contrario sensu, §. 4. Inst. de noxal. act.* Et hoc quidem si civiliter agatur, secus si criminaliter, quod etiam fieri potest *per l. fin. h. r.* quo casu pœna mortis ex jure civili imponi non potest *per Nov. 134. c. 13. vers. pro furto, auth. sed novo jure C. de serv. fugit.* licet veteris juris ex *l. 12. tab.* quæ pœnam mortis furi manifesto imposuit, aliqua adhuc vestigia extant *ut in l. 15. de cond. caus. dat. & l. 56. §. 1. h. r.*

31. Hodie ex recepta consuetudine, constitutione Friderici, quæ exstat *in c. un. §. si quis quinq. solidos 6. de pace tenen. 2. F. 27.* & constitutione Caroli V. pœna unius furti seditiosi, vel trium pluriumvè quinque solidos, (quos *Dd. de aureis Ungaricis* intelligunt,) excedentium, est ut fur de patibulo suspendatur *P. S. D. art. 157. & seqq.* hinc tamen non sequitur furtum inter judicia publica esse relatam.

32. Pro uno furto simplici licet 5. solidos excedat, dicta poena non venit imponenda, ut d. art. satis docent & art. 160. nisi aliae circumstantiae furtum aggravantes concurrant; contrarium in Nov. El. Aug. c. 33. p. 4. ex qua omne furtum simplex valorem quinque solidorum excedens, laqueo punitur.

33. Si furtum sit infra quinque solidos & non manifestum, fur rem sublatam cum duplo restituere tenetur, quod si non possit, saltem cum simplo, & si nec hoc, rem ipsam restituit, & in poenam deficientem, carcere aliquandiu detinetur: si fuerit manifestum ad palum ignominiosum sistitur, & virgis caesus relegatur, restituta tamen re vel ejus aestimatione si possit, habito tamen respectu personae dignioris & vilioris P. N. D. art. 158. Jure Saxonico si furtum hoc casu excedit medietatem 5. solidorum, fur fustigatur & exilio perpetuo plectitur, si non, vel carcere vel relegatione temporali punitur d. const. 33. nisi fuerit factum cum effractione P. N. D. art. 159. & d. const. 33. §. werent.

34. Si duo furta sint commissa, eaque magna & enormia, absque dubio poena laquei locum habet P. N. D. art. 161. si v. modica & quinque solidos non excedentia fur ad numellas ponitur, & territorium ejurat d. art. 161. Jure Saxon. distinctio prior etiam hic obtinet.

35. Ad tria haec distincta furta, quae Const. Carol. exigit, etiam in diversis territoriis perpetrata computari poterunt, quia propter frequentiam delicti & reiterationem delinquenti aggravatur delictum & ejus poena.

36. Excusatur ab hac poena ordinaria heres, qui hereditatem expilavit P. N. D. art. 165 cui concordat l. 3. C. fam. herc. Deinde excusatur a furti poena reus, qui ob famis necessitatem edulia est furatus, P. N. D. art. 166. concordat c. 3. ext. de furt. c. 26. de consecr. dist. 5. c. fraternitas 12. q. 2. Adulterium tamen aut stuprum propter hanc necessitatem plane committere non licet. Necessitatem autem intelligo, quando imminet periculum vitae, cui aliter quam per furtum eduliorum subveniri non potest. Tertio ad poenam mitigandam facit, si fur poenitentiam ductus ante inquisitionem vel incarcerationem rem domino restituat arg. l. 11. de in jus voc. l. 5. §. 4. de re milit. l. 13. §. ult. eod. quam sententiam comprobat Aug. El. d. const. 33. §. vnd nacho dem.

37. Fur si nec dum mortuus rupto laqueo in terram decidat, iterum est suspendendus, quia sententia suum debet sortiri effectum *l. 1. de re judic.* dummodo de notoria suspensi malitia & nequitia apertissime constet.

38. Dicta strangulationis poena licet acerba nimis & contra legem divinam à quibusdam furum patronis jactitetur, eam tamen ut justam defendi posse statuo cum magni nominis viris Theologis & JCtis.

39. Si plures furtum commiserint, distinguendum est civiliter conveniantur an v. criminaliter, si civiliter, omnes in solidum tenentur, nec unius solutione reliqui liberantur *l. 1. C. de condict. furt. l. 21. §. 9. h. t. l. 6. arb. furt. cas.* Si criminaliter, ad poenam laquei iterum distinguendum est, pro magnitudine furti, ita ut si uniuscujusque portio ad magnam aliquam summam accedat, Jure Sax. omnino ea puniri possint *ut sup. dict.* quòd si ad unum aliquem modicum pervenerit nò excedēs quinque solidos, quisque furum in perpetuum relegatur *d. const. 33. §. vñd wajhr vtel.* Nisi fuerit factum cum effractione, quo casu omniū gula frangenda est laqueo *P. H. D. art. 159. & d. const. 33.*

#### Sequitur RAPINA.

40. Rapina seu vis bonorum raptorum est delictum privatum, quo quis invito alicui rem aliquam mobilem vi adhibitā fraudādi animo aufert *pr. Inst. de vi bon. rapt. & §. 1. l. 2. d. vi bon. rap.* & in effectu cum furto eadem est, scil. in eo, quòd ei, cujus interest, possessio rei æquè per rapinam atque per furtum intervertitur, formā autem hac potissimum distinguitur, quòd furtum clam fiat, & eā intentione semper committatur, ut homines lateat, adeoque aliquid sibi habet adjunctum veretur, at rapina apertā vi committatur, eaque intentione, ut qui rapinam facit, animum habeat auferendi rem, vi, si clam non possit, adeoque cum impudentia conjuncta est *Dn. Vultrej. i. jurispr. Rom. c. 49.* Hinc etiam dicitur fur improbior *d. pr. l. 2. §. 10. eod. l. 14. §. 12. quod met. c.*

41. Ejus poena est intra annum quadrupli, quod tamen ipsam rem ablatam continet, post annum verò simpli *d. pr. §. 19. Inst. de act. l. 2. §. 13. h. t. l. 4. C. eod.* Christianus autem bona Judæis rapiens quocunque tempore tenetur in duplum *l. 6. C. de pagan.*

B 3

42. Con-

42. Contra raptorem etiam furti manifesti actio datur *l. 80. §. 3. d. furt. d. pr. d. l. 2. §. 26.* Quare a. prætor specialem introduxerit actionem, hanc puto esse rationem, prætorem ut alibi, utpote quod *in l. 1. §. 2 de public. ait Ulp.* licet aliàs provisum fuerit contra publicanos, tamen è re putavisse prætorem specialiter adversus publicanos edictum proponere, & *in l. 3. §. 1. naut. caup. mirari Pomponium refert Ulp.* cur introducta sit prætoria actio, cum sint civiles actiones, & eundem respondisse, ideo id factum, ut innotesceret, prætorem curam agere reprimendæ hoc genus hominum improbitatis: ita hinc quoque voluisse extare plures actiones, & in raptores specialem & propriam, præsertim quod furti manifesti actio non in raptore quovis habeat locum, cum & quidam non deprehendatur: veluti si dominus metu percussus occultet se, nec quenquam habeat, quem attestetur, in cuiusm. terminis est etiã furtum nec manifestum *l. 7. §. 1. de furt.* ejusque rei & raptoris non deprehensi exemplum proponitur à Jcto *in l. 52. §. fin. d. furt.* si quis raperit ex ædibus, in quibus nemo fuit, idque apertius erit, si, quod concinnius est, verbis trajectis ibi legamus, non furti manifesti, quâ lectione quoque textus ad hoc notari potest, quod raptor deprehensus etiam teneatur furti manifesti, & ipse Justin. *in fin. d. pr. h. t.* proponit duplicem casum raptoris comprehensi & non, ubi intelligenda est comprehensio non realis & manu facta detentio, sed eo sensu quo *supra dict.* furem manifestum esse qui in ipso furto deprehenditur.

43. Est hæc actio ad instar aliarum actionum pœnaliũ prætoriarum mixta & annalis *d. §. 19.* Et videtur prætor eam constituisse his de causis. 1. quia hæc sufficiebat in raptorem non deprehensum, 2. quia extra actionem furti omnes actiones pœnales sunt mixtæ, 3. quoniam cum raptores etiam criminaliter iudicio publico *§. 8. Inst. de publ. jud.* & ex constitutionibus teneantur, & præterea furti manifesti actione, siquidem hanc priorem esse statuamus, actionem in quadruplum mixtam sufficere prætor putavit, nec à natura aliarum actionum pœnaliũ recedere voluit, denique quoniam hanc actionem contra vim ablativam prætor videtur introduxisse, ad exemplum actionis quod met caus. quâ coercetur vis compulsiva, quæ itidem & annalis & pœnalis mixta est *l. 14. §. 1. 9. & seq. quod met. c.* Hac consideratione ab indagandis Dd. conjecturis, quare raptor mitius puniatur, superse-  
deo, cum id falsum esse hinc constet.

44. Ho-

44. Hodie ferè criminaliter ad pœnam capitalem agitur, & raptores pœnâ gladii aut alio ultimi supplicii genere pro cujusque regionis consuetudine puniuntur *P. H. D. art. 126.* juxta distinctionem ibi positam Jure Saxon, latrones rotâ confringuntur, si scilicet homines interfecerint, secus, prius capite multantur, & post rotæ imponuntur, idque ex mente *Dd. probatur antecedens per textum Landrecht lib. 2. art. 13. cui accedit P. H. D. art. 137.*

45. In tantum rapina odiosa est, ut etiam is, qui rem suam ab ejus possessore per vim rapit, ejus dominio privetur: qui rem suam existimans, alienam tamen rapit, eam cogatur restituere & præterea æstimationem ejus præstare, quod & in invasionibus, quæ circa res soli fiunt, locum habet, *§. 2. h. t. l. 13. quod est. c. l. 7. de vi priv. quod confirmatum ordinat. Camer. VVormatiae factâ Anno 1521. tit. wie es in irrung der possession vnd derselben entsetzung gehalten werden soll / §. vnd ob sich ja.* concordat *l. 7. C. unde vi.* Jure Sax, tales non aliter puniuntur, quàm ut ablata restituant, judici mulctam solvant, & pœnam 30. solidorum læso applicandam luant, *Landrecht lib 3. art. 43. junct. ibi glos. & art. 47.* quod si non possint, æstimationem à læso jurato factam præstare coguntur *d. art. 43.* Jus autem crediti non amittunt, sed per viam actionis soluta mulcta & pœna jus suum petere & consequi possunt *per gl. Weichbild art. 29. n. 10.* sed hoc non in vi publica admessa, sed saltem privata.

46. Competit hæc actio non solum ipsi domino, sed etiam illi, cuius interest, rem per vim ablatam non esse, & generaliter dicendum est, ex quibus causis furti actio competit in re clam ablata, ex iis etiam hæc competere actionem *§. fin. h. t.*

### De L. Aquilia.

47. Damnum in genere, est omne detrimentum, quod quis per alterum sentit, sive cum vel sine injuria fiat, vel significat diminutionem patrimonij *l. 3. de dam. inf.* Hic autem in specie damnum, quod positum est in corruptione rei, quo ipso distinguitur à furto & rapina, per quæ delicta utique etiam damnum infertur, quin amplius ab his distinguitur, quod hæc dolo fiant, ad damnum autem in juriâ datum, ut hic sumitur, etiam levissima culpa satis sit, *ut sup. §. 3. dicit.*

48. Da-

48. Damnum injuriâ datum est delictum privatum, quo quis dolo aut culpa servû aut quadrupedem alterius occidit, vulneravit, vel alio- qui ejus res fregit, ussit, lesit aut rupit *pr. & §. 13. Inst. h. t.*

49. Ad damnum hoc sarciedum competit actio l. Aquiliæ, quæ est plebiscitum antiquissimum, nominata à quodam Aquilio tribuno ple- bis, qui eam legem loquentem de damnis rogata plebe Romana tulit, per quam damnum temerarium & imprudenter factum plectitur.

50. Olim ejus tria fuerunt capita *l. 27. §. 4. h. t. §. 12. Inst. eod.* hodie saltem duo, cum tertium in desuetudinem abierit *dd. text.* quod Cuja- cius de intercepta aliqua nobis utilitate egisse censet: eorum prius lo- cum habet, cum damnum datur alienum servum aut pecudem occi- dendo *d. pr. Inst. & l. 2. h. t.*

51. Excipiuntur ab hoc delicto 1. qui non ex proposito, sed jure veluti defendendi sui causâ servum sibi insidiantem occidit *§. 1. Inst. eod.* jure enim permissum est pro defensione vitæ suæ aggressorem occidere *l. 3. de just. & jur. l. 5. l. 45. §. 4. h. t.* dixi servum, quoniam ad eum l. A- quilia pertinet, *d. pr. & passim ff. & C. h. t.* quoniam corpus occisum æstimari debet, nec enim æstimatio ex h. lege in corpus liberum cadit *l. 13. h. t.* adeo ut nec heredes occisi utiliter saltem ad impendia in me- dicos facta & alia consequenda agere posse putem *per l. 7. §. 4. d. l. 13. l. 15 §. 1. l. 16. l. 36. §. 1. h. t.* (Non tractabo hîc materiam defensionis & ho- micidii, quod lege Cornel. de Sicar. vindicatur, quod plerique hîc fa- cere solent, cum in disputatione de publicis judiciis præterito seme- stri à me proposita, eam thesibus aliquot tractaverim.) 2. damna, quæ casu magis quàm culpâ dantur, quem nemo præstat. *l. 2. §. 7. de admin. rer. ad civit. pertin. §. 4. Inst. quib. mod. re contr. l. 25. §. 6. locati l. 23 de R. I. l. 6. C. de pigner. act. & ea saltem hîc vindicantur, quæ dolo & culpâ vel levissima fiunt, ut dict.*

52. Pecudum significatio aliquando generalior est, ut etiâ feræ bestiaæ contineantur, *ut sæpius apud Poetas.* Hîc a. per pecudes signifi- cantur quadrupedes, quæ gregatim pascuntur, & sui naturâ utilitatem hominibus præbent *§. 1. Inst. h. t. l. 2. §. 2. eod. l. 65. §. 4. de legat. 3.*

53. Caput posterius ad omnia cætera damna pertinet, eaque vin- dicat, quæ data sunt occidendo. cætera animalia sive quadrupedes sint sive bipedes, etiam vulnerando servum aut quadrupedem pecu- dem, & denique quæcunque damna rebus animâ carentibus illata, *quod*

quod exemplis ostenditur in d. §. 13. l. 27. §. 5. & seqq. l. 29.  
§. 6. h. t.

§ 4. Convenit hoc caput cum priori & discrepat; convenit in duobus, quòd itidem hìc damnum dolo aut culpà datum esse oporteat §. 14 Inst. h. t. l. 30. §. 3. eod. & quòd æstimatio fiat quanti plurimi d. §. 14. & l. 29. §. ult. eod. discrepat quòd in priori condemnatur reus, quanti res toto anno retrò plurimi fuerit l. 2. l. 21. §. 1. l. 23. §. 3. h. t. habita non solum peremti corporis æstimatione, sed etiam eo quod per occasionem ejus damnum illatum est §. 10. Inst. eod. d. l. 21. §. ult. & l. seq. in æstimationem item venientibus omnibus expensis ratione læsionis contingentibus & operis cessantibus & impeditis arg. l. 3. si quadr. pauper. l. fin. de his qui dejec. ex hoc autem quanti triginta diebus proximis d. l. 27. §. 5. d. l. 29. §. fin. & d. §. 13. Jure Saxon. si quando agitur ex primo cap. tunc si animalia habent Wergeldum solvendo id liberatur reus Landrecht lib. 3. art. 48. si non, æstimationem ejus præstare cogitur; ex tertio cap. si agatur pro animali quod pecudum numero non est, idem jus, quod in primo cap. Landrecht lib. 3. art. 51. Si verò mutilatur pecus & animal, quod homines manducare solent, tunc dominus ejus illud retinet, reus autem præstat dimidium Wergeldum d. art. 48. quod si occidat, aut in pede mutilet plenum Wergeldum præstabit, d. art. 48. damni autem dati in rebus inanimatis æstimationem præstabit lib. 2. art. 38.

§ 5. Hoc generatim definiri potest, æstimationem redigendam esse ad commune judicium non affectionem singularem d. l. 33. d. l. 21. §. fin. l. 62. §. 1. l. 63. ad l. falcid. Pretium n. rei triplex vulgò est. 1. conventum, quod partium conventionem expressum & taxatù est. 2. commune, quod communiter æstimatur, & à quolibet sciente rei qualitatem datur, ita ut apud unum non plus valeat, quàm apud alium. 3. singulare, quòd singulariter æstimatur ex speciali aliquo affectu propter certam aliquam qualitatem rei inhærentem, quæ non est transfmissibilis ad alios.

§ 6. Dixi supra, excusari magis casu quàm culpà datum damnum, eum igitur, qui arcendi incendii causà ædes demolitus est vicinas, ad damnum restituendum non teneri puto l. 49. §. 1. h. t. l. 3. §. 7. de inc. ruin. naufr. l. 7. §. 4. quod vi aut clam. l. 1. C. ad l. Corn. de sic.

§ 7. An autem ædes pro salute totius viciniae dirutæ communi-

C

bus

bus sumtibus sint restituendæ, dubitatur: ego affirmo cum distinctione, si scilicet ignis ad eas non dum pervenerit *arg. d. l. 7. §. 4*

58. Is in cujus ædibus incendium ortum est, non aliter tenebitur, quam si culpâ certæ personæ incendium ortum demonstretur. *arg. l. 11. de inc.*

59. Actio ex l. Aquilia civilis est *l. 5. §. 1. & 2. h. t. l. 23. d. furt. l. 14. §. fin. de presc. verb.* eaque triplex: Directa, quæ ex ipsis verbis legis datur *§. fin. Inst. h. t. l. 11. §. 6. & seq. eod.* Utilis, quæ non ex ipsis verbis, sed sententia & interpretatione seu ratione legis datur, aliquando etiam hæc in factum abusive dicitur quia secundum circumstantias facti præstatur *l. 7. §. 3. l. 9. §. 3. & 4. h. t.* Et in factum actio propria, quæ nec ex verbis legis nec ex sententia datur, sed in factum quale est concipitur *l. 11. de presc. verb.* Datur a. in negantem in duplum *l. 4. C. h. t.* Et cum pœnalis sit, quia partim datur in duplum, partim quia non tempus damni dati sed antè respicit *ut dict.* in heredes non transit *§. 9. Inst. h. t.* Pro homine autem occiso etiam criminalis actio institui potest *§. 11. Inst. eod. l. 3. C. eod.*

#### De Injuria.

60. Injuriam vocabulum in jure nostro variæ est significationis, Generaliter omne id, quod non jure fit, significat, quasi non jura, *pr. Inst. h. t.* Specialiter autem tribus accipitur modis. 1. pro injustitia & iniquitate judicatis quasi jus iniquum, sic dictum, quod jure & justitia carerat. 2. pro damno culpâ seu dolo dato, *ut in specie preced. l. Aquilie.* 3. pro contumelia à contemnendo dicta, & sic hoc loco accipitur.

61. Injuria est delictum privatum dolo malo in alterius contumeliam admissum; ut enim in genere traditur animum & intentionem delinquentis distinguere maleficia *l. 53. de furt. l. 1. §. 3. ad l. Cornel. de sic. l. 1. C. eod.* ita etiam injuria ex facientis animo æstimatur *l. 33. h. t. l. 5. C. eod. l. 3. §. 1. h. t.* ejusque essentialia requisita sunt dolus, animus & affectus injuriandi.

62. Non igitur faciunt injuriam, nisi qui doli capaces sunt, *d. l. 3. §. 1.* Excipiuntur impuberes doli non capaces, furiosi, dormientes *l. 12. de si. ear. l. 1. §. 3. de acq. poss.* De ebrio major est dubitatio, ego verè ebriū injuriam facere nego, quia ob perturbationem nec rationis nec mentis compositus est, & ebrietas mentis exiliū inducit *c. à crapula de vit. & hon. cler. c. sane 6.*

ne c. inebriaverit 15. q. 1. consonat l. 11. § 2. de poen. l. un. C. si quis Imper. distin-  
tione tamē adhibita cum Geil. 2. obs. 110. n. 26. inter ebrietatem & ebrio-  
sitate. Iracundiam item excusare dico, si iusta causa præcesserit l. 38.  
§ 8. de adult. l. 48. de R. I. l. 5. C. h. t. maximè si utroque casu sublato impe-  
tu facti poenitentia ostendatur.

63. Animus autem injuriandi præsumitur, nisi contrarium probe-  
tur d. l. 5. C. h. t. quia verba sunt indices animi: sed præsumtio hæc con-  
trariis conjecturis elidi potest, quarum una sumitur à qualitate perso-  
narum, quæ vel jus aliquod habent vel sibi usurpant, alios perstringen-  
di, quales sunt mimis & histriones; vel quæ habent jus imperandi  
adeoq; emendandi potius quàm injuriandi animo dixisse præsumun-  
tur, quales sunt parentes, præceptores, cognati l. un. C. de emen. propin.  
l. 5. §. si. ad l. Aquil. facit l. 34. C. d. adult. l. 11. § 3. quod falso rut. Et si circum-  
stantiæ aliud suadeant l. 15. §. 13. h. t. l. 3. §. 2. de Obl. & Act.

64. Comittitur injuria vel verbis, unde verbalis, vel factis unde rea-  
lis dicitur: verbis dupliciter. 1. linguâ nuncupatis, ut si cui convitium  
dicatur §. 1. Inst. h. t. & d. l. 5. etiãsi protestatio & præfatio honoris præ-  
mittatur, quia protestatio facto cõtraria nihil operatur c. 9. ext. de cõstit.  
c. 54. ext. de appell. & potentior est actus cõvitiandi actu protestationis,  
& hic adeo inhabilis, ut tollat & purget dolû & malignû propositum,  
quia factum illud jure illicitû & prohibitû est; & in specie si quis blã-  
dis verbis pudicitiam alicujus attentet l. 9. §. 4. & l. seq. l. 15. §. 15. h. t. quo-  
niã ita tanquã quiqueve persuadeatur facilè impudicitie argui cõsetur.  
2. in scripturâ redactis, & dicitur in specie libellus, vel carmen & hæc  
injuria scripta per omnia & in omnib. verbalis censetur l. 1. §. 1. l. 15. §. 27.  
h. t. Factis itidem dupliciter vel in corpus molestiam inferendo d. §. 1.  
per verbera vel pulsationem, vel faciendo aliquid aliud citra corporis  
læsionem, quod ad infamiam alicujus pertinet, ut plurimis locis h. t. vi-  
demus.

65. Veritas convitii, etiam quod reip. scire interest, neminè excusat,  
nisi objiciatur legitimè, h. e. nisi ad magistratum deferatur, atq; ea in re  
ita agatur, ut nullam de se præbeat significationem objiciens aut defe-  
rens, quod animo injuriãdi id faciat, sed solo animo publici commodi  
promovendi, tum enim si convitiû probaverit, laudem habebit, si non  
vituperium arg. l. un. C. de famos. lib. probo assertionem hanc per l. 5. C. h. t.  
N. 77. c. 1. l. 3. de offic. reët. prov. c. re regentes c. cum minister 23. q. 5.

C 2

66. Sic

66. Sic nec excusat, si quis excipiens contra testes in iudicio, quod sint falsarii improbi, criminosi, &c. id non probaverit, quia jus nostrum non patitur sub specie defensionis vel exceptionis cuiquam inferre injuriam *l. 31. C. de lib. caus. c. 1. §. qui verò de elect. in 610.* sed contra eum, qui quod excipiendo proponit non probat, cum calumniari praesumatur *l. 5. §. 1. qui satisd. cog. l. 1. C. de adv. div. judic. d. c. 1. c. qui non probaverit 2. q. 3.* injuriarum actionem expresse concedit *d. l. 31. l. 12. h. t.* Oriuntur enim contra injuriantem duae praesumptiones, altera ex verbis injuriosis, altera ex defectu probationis, quae unam, quod non animo injuriandi fecerit, elidunt, si tamen poena capitalis veniat imponenda, aliud dicendum puto, quia ignoscendum est ei, qui qualitercunq; sanguinem suum redemptum voluit *l. 1. de bon. eor. qui ant. arg. l. 18. C. de transact.* Idque magis si ab initio protestatus sit, quod non animo injuriandi faciat, & aliae conjecturae hanc protestationem juvantes accedant, alias secus *juxta dict. §. 64.*

67. Excusatur, qui injuriosum aliquid dicit laceffitus ad existimationem suam tuendam, quia verbalem injuriam verbis repellere licet, quemadmodum arma armis, cum non minor sit honoris ac famae, quam bonorum & ipsius vitae habenda ratio *l. 9. de manum. vind. l. 8. §. 2. quod met. c. quod probat 7. C. in l. 3. de just. §. 1. 25. de procurat. l. 14. §. 2. de bon. libert.* Videndum tamen ne verba ad vindictam tendant, sed ad excludendum crimen dirigantur.

68. Fit alicui injuria vel immediate in persona propria, vel mediate in personis aliis, uti dominis in persona servorum, idque duobus casibus, si aut respectu dominorum ipsis facta est, aut injuria fuerit atrox *l. 15. §. 35. h. t. §. 3. Inst. eod.* ipsis a. servis, quae servis nulla intelligitur fieri injuria, hoc scilicet effectu, ut actio injuriarum illis competat, cujus ratio pedit a statu servorum, qui instar aliarum rerum in patrimonio habentur, & nullum habent caput, & pro nullis habentur *l. 32. l. 209. de R. I. l. 32. §. 6. de donat. int. vir.* & cum injuria pertineat ad imminutionem fame, dignitatis & existimationis, haec nulla sunt in servis. Eadem obtinent in servo communi *§. 4. Inst. h. t.* ubi notandum, quod non partium dominicarum quas in servo habent domini, sed potius qualitatis & conditionis dominorum in aestimanda injuria sit habenda ratio, quia variat injuriae aestimatio ex qualitate & conditione personae cui facta est, *d. §. 4. §. 7. l. 17. §. 3. h. t.* Si alius proprietatem, alius usumfructum in servo habeat, magis proprietario, quam usufructuario facta intelligitur, nisi expresse constet, hujus

huius contemplatione factam esse §. 5. *Inst. h. t. l. 15. §. 47. eod.* Idem obtinet in libero homine & seruo bona fide possessore, ut ipsi competat actio nisi possessoris contemplatione facta sit *d. l. 15. §. 48. §. 6. Inst. eod.* Hodie etiamnum nobis, licet servitutum jus sublatum sit *sup. §. 23* competere actionem ob injuriā respectu nostri mercenariis nostris factā, pleriq; Dd. cōcludunt, cui consentit jus Saxon *Landrecht lib. 2. art. 34.*

69. Sic irrogatur parentibus injuria per liberos *l. 1. §. 9. h. t.* quæ tamē & ipsis liberis fit, sed executio injuriæ non datur liberis, nisi ubi filius agit ex *l. Cornel. l. 5. §. 6. h. t.* sed pater & suo & liberorum nomine injuriarū agit, licet ipsis quoque liberis actio quæ sita videatur, sed quæ per ipsos ut in aliis causis acquiratur parētib9 *d. l. 1. §. 9. l. 26. l. 41. h. t. l. 2. C. eod.* Injuriam a filio factam pater si non fit vilis persona, etiam invito filio remittere potest *l. 17. §. 11. & aliquot seqq. h. t.* adeò ut nec filius potestate liberatus eam resuscitare possit §. *fin. Inst. h. t.* & aliās sublata obligatio & actus restitui non potest *l. 98. §. 8. de solut. l. 27. §. 2. de pact. l. 10. §. 9. de in rem verso.*

70. Sic etiam injuria fit uxoribus, & per eas maritis non contra *d. §. 2. ac 3.* uxor enim in familia, cujus caput maritus est, & à quo dignitatē capit *l. ult. C. d. incol. l. 13. C. de dignit.* & quodammodo in potestate mariti est, qui adeò suo quoque nomine injuriam uxori factam tanquam sibi simul illatam exsequitur *d. l. 1. §. 9. l. 11. §. 7. l. 18. §. 2. h. t.* si simul fuerit filiafam. & maritus ejus filiusfam. etiam parentibus utriusque injuria facta intelligitur, ut sic quandoque tribus quandoque quatuor competat actio *d. l. 1. §. ult. d. l. 18. §. 2. §. 2. Inst. h. t.* Quod & in sponso admissum est *l. 15. §. 24. h. t.*

71. Injuria autem ex ratione circumstantiarum maximè loci, temporis, personæ, subjctæ partis corporis aliquādo est atrocior, aliquando levior, puta atrocior est, quæ fit in publico, quàm quæ privatim, quæ fit magistratui, quàm quæ privato homini §. 9. *Inst. eod. l. 7. §. 7. & 8. l. 17. §. 3. h. t. l. un. C. de ingrat. lib. 1. fin. C. de revoc. don. l. 5. C. de accusat. l. 4. C. h. t.* Injuriam autem, quæ magistratui ejusque officialibus fit, arbitrariè puto puniendam *l. fin. h. t. l. 4. §. 1. de inc. Jure Saxon. certæ poenæ locum habent, quæ videri possunt Nov. El. Aug. const. 43. p. 4.* Cui autē cōpetat hoc casu cognitio super injuria, dubitatur, cum nemo in propria causa possit esse judex *l. 10. de jurisdict. l. un. C. si quis in sua caus. & distinguendum est vel facta est injuria magistratui ut magistratui, &*

magistratus ut in negotio alieno procedere & judicare potest *c. Romana t. de pœnis in 6to gl. ibid. in verbo punire* aut facta est ipsi, ut privato & ad altiore[m] remittet, *Geil. 1. obs. 39. n. 4.*

73. Fit injuria vel per unum, eumque vel per se vel per alios quibus vel persuasit, jussitve ut fieret injuria *l. 11. l. 15. §. 8. l. 17. §. 2. h. t.* mandans tamen non tenetur, nisi injuria facta sit: vel per plures, qui singuli tenentur, tot enim sunt injurię, quot sunt personę *l. 34. h. t. l. 9. de jurisd.* quia in delictis quisq; ex suo dolo obligatur in solidum, & pluralitas circumstantiarum plures efficit injurias *l. 15. §. 2. quod vi aut. clam. d. l. 34.*

74. Magistratus etiam eorumque satellites injuriam facere videtur, quando præter & supra officium aliquem concutiunt *l. 32. h. t.*

74. Pœnas injuria habet varias alię enim sunt ex jure civili alię prætorio.

75. Ex Jure prætorio est actio, qua quisque injuriã sibi factam æstimat, ita tamen ut judex eam æstimationem moderetur, & quantum sibi videtur æquum, in condemnationem deducat, *§. 7. Inst. h. t.* & hæc pœna quę pecuniaria est, ipsi adjudicatur & applicatur actori, quam si reus solvere nequeat, in corpore luere necesse habebit *l. ult. de injus voc.* dicitur autem hæc actio civilis *§. 10. Inst. eod.* non à causa efficiente, est enim prætorica, sed quatenus actio civilis hoc sensu opponitur criminali, quod ex hac persequimur vindictam publicam, ita ut reus vel in corpus coërceatur, vel pecuniaria pœna fisco applicetur; æstimatio a. hæc fit pro qualitate injurię atrocioris & levioris *ut sup.* finis est, ut ita coërceatur petulantia convitiantis, non autem quasi tanti æstimetur fama & existimatio ejus, qui passus est injuriam.

76. Jure civili diversę sunt pœnæ: *l. 12. tab.* erat pœna talionis propter membrum ruptum, propter os. v. fractum pœna nummaria *d. §. 7.* Accessit lex Cornelia de injuriis, quę tribus tantum casibus datur, quod vel se pulsatum vel verberatum vel domum suam vi introitam quis dicat *§. 8. Inst. h. t. l. 5. in pr. & §. 6. eod. l. 12. §. ult. de accus.* Potest etiam agi criminaliter *§. 10. Inst. eod. l. ult. eod.* sicut pro furto *l. ult. de furt.* & omni delicto *l. ult. d. priv. del.* ut extra ordinem & in corpus reus coërceatur, quare res facit ut utrinque procuratori non sit locus, quia procuratores fiunt domini litis & in eos fertur sententia *l. ult. C. h. t.* ubi illud solis personis illustribus privilegii loco Zeno Imp. concedit, quod tamen moribus non observatur teste Mollero *1. semel. 24.* Jure Saxon, varię pœnæ  
pro

pro diversitate circumstantiarum huic delicto sunt præstitutæ ut ex  
Landrecht hinc inde colligitur, quas El. Aug. Nov. sua const. 42. p. 4. ab-  
rogavit, aliasque pœnas imposuit, uti ex lectione constitutionis videre  
est, quò me remitto.

77. Hodie usu ac consuetudine receptum est, ut is qui passus est injuriã  
ad palinodiam seu recantationem verborum agat, daß der Geschmechte  
auff einen Wiederuff klage / quæ dicitur actio recantatoria, vid. ord. Ca-  
mer. August. p. 2. t. 28. §. vnd sonderlich sehen & d. const. 42. quæ actio  
civilis nõ criminalis est, quum neq; pœna hinc corpori irrogetur, neq;  
quisquam fisco applicandum peratur, sed tantum hoc ut honori & di-  
gnitati ejus qui læsus est, consulatur, tum quòd in ea appellatio conce-  
datur, d. Cam. ord. quod de Jure communi secus est ubi in criminalib9  
appellationes hoc tempore non recipiuntur, tum quia in Camera re-  
cipitur & tractatur, in qua nulla criminalis excepta causa pacis pu-  
blice tractatur, ideò etiã receptum est, ut hæc actio cū civili qua agitur ad  
æstimationem injuriæ in eodẽ libello conjungi, simulq; moveri possit.

78. Damnatum in judicio injuriarum sequitur infamia l. i. de his qui  
not. inf. ut autem per sententiam damnato conservetur fama nõ video  
quomodo rationi juris nõstri conveniat, equidem ut per graviorẽ pœ-  
nã irrogatã possit id fieri convenit juri nostro, l. 13. §. 7. de his qui not. si a.  
ordinaria pœna irrogetur, id fieri vix potest, sed tunc obtinet autoritas  
l. i. §. 4. ad Sc. Turpill. & id nominatim de actione furti, cujus eadem  
est ratio, respondetur in l. 63. de furr.

79. Actiones injuriarum aut ab initio impediuntur, aut natæ tolluntur:  
impediuntur dissimulatione, si quis injuriam factam ad animum non  
revocaverit §. fin. l. h. t. l. ii. §. i. eod. ad animum a. non revocasse dicitur,  
qui ubi injuriã accepit non est indignatus, nec eam ut rem indignam  
graviter, & iniquo animo tulit, neq; super ea est contestatus d. l. 31. C. de  
lib. caus. potest tamẽ & qui tacet, injuriã ad animum revocare, cū ani-  
mum ulciscendi ostendere non semper commodum, sæpe etiam non  
tutum sit.

80. Natæ tolluntur duobus modis, Remissione & Morte, remissio  
autem est vel expressa vel tacita.

81. Expressa fit per declarationem apertam voluntatis de remitten-  
da vel remissa injuria, veluti per transactionem, pactum &c. l. 27. §. 4.  
de pact. l. 17. §. 6. h. t.

82. Ta-

82. Tacita iterum duas habet species, altera est ex factis præsumta, quæ inducunt dissimulationem, & injuriæ gratiam factam esse arguunt veluti si quis cum eo, à quo injuriam accepit, familiariter conversetur, si tamen id fecerit ultrò & proprio motu non occasione ab alio præbita & quasi ex necessitate, veluti si ad commune convivium fuerit convocatus, *ut notant Dd. in d. §. fin. & d. l. 17. §. 6.* Altera inducitur ex lapsu temporis, & nimirum si agatur ex jure prætorio anni *per text. expr. l. 5. C. h. t.* qui annus non continuus sed utilis est, quòd regulariter actiones prætorix anno utili durant *pr. Inst. de perpet. & tempor. act. l. 14. §. 2. quod met. c. l. 55. de adil. edict. l. 2. C. qui adm. ad bon. poss. l. 4. C. de lib. caus. accedit constit. Nov. El. Aug. 46. p. 4.*

83. Actio autem legis Corneliæ non est annalis sed perpetua *l. 3. & 4. C. de præscr. 30. vel 40. an.* quia est ex jure civili non prætorio, quales actiones perpetuæ sunt *d. pr.*

84. Morte finitur 1. ejus qui facit injuriam, si mortuus sit antelitem contestatam *l. 13. h. t.* quod commune est omnibus poenali- bus actionibus, ut non dentur adversus heredes delinquentis, *vide sup. §. 29. 2.* & hoc speciale est, morte ejus, qui passus est injuriam, *d. §. fin. d. l. 13. l. 10. §. 2. si quis caut.* cum aliàs actiones poenales dentur heredibus *§. 1. Inst. d. t. l. 1. §. 1. de priv. del.* Ratio specialitatis est, quòd per istud genus delicti nullum patrimonio infertur damnum, sed ad vindictam est, cujusmodi non dantur heredibus *d. §. 1.*

85. Huc pertinet libellus famosus vulgò Pasquillus dicitur, qui definitur, quòd sit compositio in scriptis facta, ad infamiam alicujus, ejus quod auctor probare non vult, in publico loco, occulto nomine affixa *l. 5. §. 9. l. 6. l. 37. h. t.* differt ab injuria scripta *juxta VVes. in P. fforum. hic n. 6.* quòd libellus famosus ad infamiam pertinet, h. e. impingit delictum aliquod notabile, injuria fit contumeliæ causa etiam absque nota infamiæ.

86. Poena ejus ex constit. Imp. *l. un. C. de famos. libell.* est capitalis, quam confirmat *P. N. D. art. 110.* quod tamen hodie ita restringunt Dd. ac interpretantur, si in libello famoso capitale aliquod aut aliud grave scelus ad creandum alicui periculum objectum sit; secus si non sit capitale, tunc enim poena talionis debet locum habere, eademque animadversione diffamator coërceri, qua unum- quodque

quodque delictum & scelus in libello objectum, si verum esset, veniret puniendum *secund. gl. in d. l. un.* Jure Canonico flagellatione & excommunicatione punitur *c. qui in alterius. s. q. 1.*

87. Hoc autem crimen adeò detestabile est, ut non tantum componens, sed & inveniens & non dilacerans & quocunque modo divulgans, ejus reus censeatur *d. l. un. & ibid. gl.* quod tamen ad publicè affixum legentem non puto esse extendendum. *Atq; hæc pro modulo ingenii mei de hac materia sufficiant, & ut unde incepti, in eo finiam,*

*Qui sapere & farinobis, bone Christe, dedisti,  
Sit tibi in aeternum gloria, laus & honor.*



## ODE ALCAICA.

Prælustre gentis Romuleæ decus  
Fandi que princeps Tullius, aureâ  
Oris catenâ blandientis  
Pectora pro libitu gubernans,  
Effata præter cætera, quæ dedit  
Affantis œstro Numinis incitus  
Diviniori Gange quovis  
Et potiora Tago beato,  
Crenâ politâ prodidit: Inclita  
Quod fixa virtus ceu adamantino  
Clavo, latebræ cordis imæ  
Insideat medio sinu que,  
Quæ, masculam si nacta sit indolem  
Mentem que puram à fæce pigritiæ  
Torpentis, hanc attactam honoris  
Exagitet stimulis virentis,

D

Ut,

Ut, sive terras luce Diespiter  
Tingat; nigræ seu noctis eant equi;  
    Examinando quàm volucris  
    Vita fugâ properet citata  
Conemur omni Marte rogalia  
Fugisse busta & nomina vividis  
    Incisa cedris ad nepotum  
    Postuma secula prorogasse.  
Quod Tu, vel ipsum per lapidem Jovem  
Jurare promptus sum, ô COLUMEN Iaris  
    BRUNO paterni, PHÆBEUM qui  
    LUMEN eris potiùs vocandus,  
Non ambigendâ consolidas fide  
Et veriùs vero probat enthei  
    Vis ingenit tendens deorum  
    Sidereas penetrare sedes:  
Dum, sicut Ætnæ flammivomum caput  
Non extimescens æquoreas minas  
    Quin sponte sorbens, nutrit ignes  
    Perpetuos rapidis favillis:  
Incendio sic quantus es æstuans  
Virtutis, & nil territus onera  
    Quævis laborum devorare  
    Ac vigiles adhibere curas,  
Quiquid brabæi diva scientia  
Quamcunque promit laudis adoream  
    Donec reportes, nescis orbem  
    Aligeri cohibere cursus.  
Pronuper etsi (ne geminâ sacræ  
Baccæ coronâ tempora prædicem  
    Obvincta) conscriptis Lycæi  
    Patribus & Sophiæ dicato

Coram

Coram juventæ flore subiveris  
Nomen Magistri, magnificum decus!  
Et septiformi clarus arte  
Puniceam tuleris tiaram:  
Non sustines Te, non stabilis pedem  
Fixum tamen, quæ cum Jove confidet  
Hoc amplius sanctæ Themistos  
Inferier cupiens verendis  
Doctoribus, ceu magnanimus pugil  
Nunc disputandi sidere candido  
In publicam prodis palestram  
Nil fabricis tribuens dolosis.  
Maeste esto. Tanquàm ter-gemino Dices  
Umbone tectus præsidis (omine  
Ducor rato) doctæ cohortis  
Tela librata manu retundes.  
Pontique rupes ut vapulans truci  
Urgetur ictu fulminis, & Nothi  
Horrore feralis, Thetisque  
Indomitâ rabie; nec unquam  
Commota substat mole suâ: pari  
Quem lege mens est dispositum locum  
Defensitare, haut, ni triumphum  
Victor agas, spacio recedes.  
Maeste esto. Sic vel Cimmeriis caput  
Pressum tenebris in mediam exsilit  
Lucem; superstes sic diurnat  
Post cinerem ardua fama: maeste.

*Debita observantia, honoris, amoris  
ergo deproper.*

Conrad Wübbenhorst Bremensis Saxo.

F I N I S.

m



Coram iuvenis flore sapientis  
Nomen Magistri, magnificum decus  
Ex spectabili clava  
Punicam ubi in  
Non infans, sed non infans pedem  
Firmum tamen, dum cum Jove consider  
Hoc amplius sancti Thales  
Inferet cupiens verendis  
Doctoribus, cum magnanimus pugil  
Nunc esturandi, libere candido  
In publicam prodis palatium  
Nil fabris tribuas dolos  
Mactabo. Tandem et gemino Dices  
Videtur rectus praedixis (omne  
Ductoribus) hoc est cohoris  
Etsi libris tenuis rudes  
Pondus rapet ut vapores truci  
Vigetur, fulmine & Noxi  
Horroris fatalis, Thesauri  
Iadonibus, nec unquam  
Criminosi libris, morsus, pari  
Quem lege in eis est dispositum locum  
Detrahite, hanc in triumphum  
Victor agas, spatio recedes.  
Mactabo, sive Cimmeris caput  
Primum tenebris in medium egredie  
Lucem; superstitibus scindunt  
Post cinerem ardua fama: mactabo.

Debita observantia, honoris, amoris  
ergo deprecor.  
Conrad Wippenhoff, Brementhus Saxo.  
1712. N. 1. 2.




ULB Halle  
006 682 146

3



KD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

<sup>15</sup>  
~~JURIDICA~~  
21 390  
1633,1  
26

IS DE-  
IS.

nus DEI  
eto Amplif-  
ultatis Juridicæ,  
ipsiensium

oque Jure  
CTORALI.

submitte  
BRUNO,  
fis.

orio Philosophorum



E S. M. Corvinius.  
s RITZSCHUS,

